



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ieremiæ Prophetæ Threni Carmine redditi

Latomus, Jacobus

Antverpiae, 1587

Canticvm Moysis. Audite cæli quæ loquar. Deut. 32.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69084](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69084)

Interea exultans Domino lætabor in illo,
 Qui solus nostræ iura salutis habet.
 Ille meæ vires solus, mea robora solus,
 Meque parem ceruo cursibus esse dabit.
 Montibus in patriis reducem me sistet, & illic
 Victori recinam carmina festa Deo.

CANTICVM MOYSIS.

*Audite cali qua loquar.**Deut. 32.*

MAchina cęlorum nostris aduertę querelis,
 Quęque tibi meditor dicere, terra cape.
 Doctrina in pluuium concreseat nostra liquorem,
 Et fecundus vti ros mihi sermo fluat.
 Ac fiat tanquam qui cęlo lapsus in herbam
 Humor aquę terras fructificare facit.
 Nempe iuuat Domini Omnipotentis sacra ciere
 Nomina, agat partes hic quoque quisque suas.
 Magnificate Deum sublimi laudis honore,
 Qui nostrum tantis se probat esse modis.
 Quicquid agit, solidũ est, omni que probabile parte,
 Iustitię graditur, iudicięque vias.
 Ille fidem dictis prestat, nec fallere nouit,
 Nam iusti & recti est tempus in omne tenax.
 Hunc fera progenies, neque tali digna parente
 Per sua commouit crimina fęda Deum.
 Ergo ignominiam culpa contraxit ab illa,
 Et sibi probrosas concit ipsa notas.
 Hęcine gens Domini meritis insana rependis?
 Tęne tuę hunc nescis stirpis habere patrem?
 Qui te possedit, Phariis que eduxit ab oris,
 Cuius dextra potens contulit esse tibi.

Tu

Tu memor annales reuoca sub pectora priscos,
 Atque à principio secula cuncta vide:
 Percontare patres, Domini te facta docebunt:
 Maiores eadem consule, nota feres.
 Quum partiretur regiones gentibus ille
 Quo nihil in rebus celsius esse potest,
 Ifacidis iam tum spatiosos tradere fines
 Constituit, numero posset vt esse satis:
 Scilicet in sortem propriam selegerat illos,
 Portio tunc Domini facta Iacobus erat.
 Repperit hunc porro per inhospita rura vagantem,
 Inuiaque, & vastis horrida tota locis,
 Hic se ductorem mox addidit, atque magistrum,
 Quæ facienda forent, quæque cauenda, docens.
 Custodiuit eum proprij ceu luminis orbem,
 Dilecto prohibens noxia cuncta grege.
 Haud secus atque solet fetus seruare volantes
 A seuo genitrix fulmine tuta, suos.
 Educit nido, sensimque per aëra ferri,
 Atque inconsuetas prouocat ire vias.
 Inde superuolitans alas expandit, & umbram,
 Ne tangat teneras noxa caloribus aues:
 Postmodo lassatis humeros quoque subiicit ipsis,
 Dum reddat tepido pignora chara toro.
 Dux populo solus Dominus fuit, haud Deus illi
 Adfuit hic aliquis dans alienus opem.
 Postmodo deductum statuit sublimibus oris,
 Posset vbi fructus diuitis esse loci:
 Sugeret è duris vbi mella fluentia petris,
 Et succum è solido marmore oliua tuum.
 Perciperetque bonis deductos vberibus fructus,
 Quæque dat imbellis lactea dona bidens.

Esset vbi in cenis aries adipalis, & agnus,
 Tantus, Basano ac si foret ortus agro.
 Grex vbi Cinyphius victum præberet opimum,
 Farris vbi eximij copia larga foret.
 Hæc Deus omnipotens largitus diuite dextra est,
 Nec species placiti defuit vlla cibi.
 Insuper & quo se potu meliore rigarent,
 Adfudit populo vina meraca suo.
 Ille sed expletus largi bonitate parentis,
 Effectus nimia est dapfilitate ferox.
 Dilecti Isacidæ iam molli abdomine pingues,
 Instituire Deo bella mouere suo.
 Atque impinguati, dilatatiq̃ue, rebelles
 Authorem vitæ deseruere suæ.
 Quo solo seruante suam tenuere salutem,
 Hunc se auertentes non voluere sequi.
 Quin peregrinorum cultu offendere Deorum,
 Et rebus, timeat quas proba lingua loqui.
 Dæmones insani Domino coluere relicto,
 Nil veriti ignotis sacrificare diis.
 Hactenus à prisco quos nemo viderat æuo,
 Nulla quibus soliti sunt dare thura patres.
 Linquere gens tantum potuisti ingrata parentem?
 Ausa creatorem es pellerè mente tuum?
 Hoc cernens Dominus factò succensus iniquo est,
 Tantaq̃ue flagranti crimina mente tulit.
 Hunc sua commouit soboles, ac tota reatum
 Traxit, & in culpa sexus vterque fuit.
 Propterea statuit placidum subducere vultum,
 Nec se conspicuum, ceu dabat antè, dare.
 Quemq̃ue sit ad finem turba euasura notare,
 Cælesti auxilio cassa, relicta sibi.

Impia

Impia natorum soboles, semperque maligna,
 Auctori que suo fallere prompta fidem.
 Ergo Deus renuens ultra tolerare nefandos,
 Diuino tales edidit ore minas:
 Me quia falsorum proritauere deorum
 Cultibus, & spreto me, sua sacra colunt:
 Nunc vice versa, ipsos immissa gente laceffam
 Tam vili, vt populi non sit habenda loco.
 Subiiciam stultis, & mente carentibus illos,
 A quibus irati multa dolenda ferant.
 Nunc demum flamma est nostri succensa furoris,
 Vltima qui penetrans tartara adusque flagret.
 Tellurem, germenque simul fructusque vorabit,
 Montanas vret funditus ille bases.
 Omnigenum prauos serie cumulabo malorum,
 Inque ipsos iaculis omnibus vltor agam.
 Esuries illos, victusque absumet egestas,
 Et fient auibus esca cruenta malis.
 Immittam dentes in eos, morsusque ferarum,
 Corporaque ipsorum dilanianda dabo.
 Reptilia accedent, quæ multo plena furore
 Per sua suffundant tetra venena luem.
 Exierint si fortè foras, sæuo ense peribunt:
 Sub tectis manean, hic grauis horror erit.
 Haud æras vllum quicquam, se xusue iuuabit,
 Pernities cunctos scilicet vna manet.
 Iamque ego eram tacitus mecum de more loquutus
 Iratorum hominum quos nigra bilis agit:
 Nunc vbi sunt? illos penitus disperdere mens est,
 Deque hominum memori tollere corde procul.
 Hostis at ob causam pœnas suspendimus illas,
 Atque iras propter, quas gerit ille, graues.

Forſitan hac ex re quaſita laude ſuperbus,
Atque ferox, factum diceret eſſe ſuum.
Diceret, Iſacidas manus hæc excella potensque
Compulit ignaua vertere terga fuga.
Nil horum fecit Dominus, victoria noſtra eſt,
Totaque, laudis ei portio nulla venit.
Ah gens inconſulta nimis, prudentia cuius
Prouida venturi pectore nulla ſedet.
O vtinam ſaperent, poſitoque errore viderent,
Quam vitæ expectet clauſula dura malos.
Quomodo namque vnus ſuperatos mille fugaret?
Inque pedes agerent millia dena duo?
Nõne ideo id factum, Dominus quia vèdidit illos,
Et quia concluſos obtulit ipſe neci?
Nempe alius noſter Deus eſt, quam turba deorum,
Quos pro numinibus gens inimica colit.
Et ſi de Domino que ſit ſententia ab ipſis
Hoſtibus exquiras, hi mea dicta probent.
Ergo ſuum infeſto populum venundedit hoſti,
Vt pro patris redderet æqua malis.
Vinea de Sodomis horum traducta videtur,
Inque ſuburbanis nata Gomorrha tuis.
Hinc vuæ exortæ quæ ſuccum fellis haberent;
Hinc etiam botris triſtis amaror ineſt.
Fel dant pro vino ſquamofi immite draconis,
Et præſens virus, quale vel aſpis habet.
Non tulit hæc Dominus, iuſtaque incenſus ab ira,
Cæleſti tales reddidit ore ſonos:
Nõne mea memori ſeruantur condita mente?
Nõne in theſauris iſta repoſta meis?
Me penes vlciſci eſt, pœnamque infligere noxæ,
Et faciam quando plectere tempus erit.

Vt

Ut qui se credunt stabili consistere planta,
 Præcipites illos iusta ruina trahat.
 Pernities properata venit, non differet vltrix
 Dextra diu, haud longè tempus abesse sinet.
 Iudicio ergo suum populum multabit acerbo,
 Postmodo flectetur sed pietate tamen.
 Inualidos quum cernet eos, & carcere clausos,
 Quos tum continget cladibus esse super.
 Improperansque illis merito sic dicet: vbi dij
 In quibus optatæ spem statuistis opis?
 De quorum insuestis pingues altaribus escas
 Sumere, & à sacris vina remissa focis?
 Exurgant, & opem vobis præstare laborent,
 Et curent istis vos releuare malis.
 Cernite vecordes, præter me existere nullum,
 Quem possit quisquam dicere iure Deum.
 Est æterna mihi vitæ, mortisque potestas:
 Occido, & luci, quos volo, reddo suæ.
 Percutio, & rursus cæcorum vulnera sano,
 Nec contra nostram vis queat vlla manum.
 Iuratus dextram cæli ad conuexa leuabo,
 Et dicam, viuo tempus in omne Deus.
 Mucronem gladij si quando aprauro nostri,
 Si mea iudicium corripiatque manus:
 Quæ meruere meis inimicis præmia reddam,
 Facta nec ipsorum semper inulta sinam.
 Et qui nos odiis infectauere malignis,
 His soluam, meritas retribuamque vices.
 Lætifera hostili saturabo tela cruore,
 Et noster carnes largiter ensis edet.
 Interfectorum carnes, & vincla ferentum,
 Quos vltrix nudos vertice turba trahet.

Ergo

Ergo huius Domini populum ne spernite gentes,
 Quodque habeat talem tollite laude Deum.
 Seruorum quoniam vindex pius ille suorum,
 Et vehemens fusi sanguinis ultor erit.
 Ipsorum sæuo vindictam sumet ab hoste,
 Perdet & ofores, subiicietque neci.
 Nempe suo clemens populo placabitur, atque
 Ipsius patrios lætificabit agros.

CANTICVM TRIVM PVERORVM.

*Benedicite omnia opera.**Daniel. 3.*

Pincipis æterni, Domini que opera omnia vestra
 Grata creatorem concelebrate Deum.
 Illum magna sublimem extollite laude,
 Nec finite officium hoc finiat vlla dies.
 Angelicæ turmæ Regi benedicite vestro:
 Authorem que polus laudet vterque suum.
 Vos etiam Domino purè benedicite lymphæ,
 Quas superinfusas arduus æther habet.
 Virtutum cunei, Domini que exercitus omnis,
 Cuncta que bellatrix, armipoten que manus:
 Sol, luna, immenso præbentes lumina mundo,
 Quorquot & æthereo statis in orbe faces:
 Qui petitis terras lapsi de nubibus imbres,
 Ros quoque, cælestem glorificate Deum.
 Flamina ventorum grauidas agitantia nubes,
 Æstates, hyemes, feruor, & ignis edax:
 Vtilis humor agris rores, canæ que pruina,
 Pigra que concreto frigora mista gelu:
 Quas que riges dat bruma niues, lapidosa que grado,
 Tempora somniferæ noctis, & alma dies:

Candi.